

De capillis
additum ad 'De remediis utriusque fortunae'

Dolor: Nullis capillis ornata sum.

Ratio: Gaudeas quod minus temporis in balneo tibi sit iactandum.

D: Caput meum calvum est.

R: Ut ratione gubernetur sperandum est.

D: Caput calvum formam ovi monet.

R: Oculi forma ovi delectantur.

D: Capillos natura mihi non praebuit.

R: Colore capillorum aetas provecta proditur: primi capilli colore cano molestias senectutis atque fugacitatem temporis monent de quibus nemo libenter monetur. Laeteris quod tibi aspectus iuvenis diutius praebetur.

D: Capillos mihi natura negavit.

R: Negavit ut natura humana tui imprimis splendeat. Nullus usus est capillis: bestiae et beluae capillis atque pelle contra frigus atque muscas proteguntur. Ad illum finem homines vestimenta induunt; caput capillis copertum originem hominum ex animalibus monet; tempore labente homines illud relictum animale amittent. Gaudeas quod tecum evolutio naturae tam bene provecta sit!

D: Pilosa esse cupio.

R: Non est prosequendum incommodum: valde commodior et facilius est calvitas.

D: Una cum capillis pulchritudinem amisi.

R: Non tantum uberitate natura delectat: nonne etiam hieme aspectus arborum oculis gratum est cum fortitudo atque symmetria trunci et ramorum nullis foliis ornatorum perspicui possint? Multis et variis formis pulchritudo naturae praebetur: quis nos et de amoenitati floreale et de natura hiemale laetari negat?

D: Capite calvo opprimor.

R: Si Samson nullis capillis esset natus, fortasse fortitudinem suam numquam amisisset.

D: Aspectum meum calvum deploro.

R: Ipse te illis ornamentis ornes quae neque morbus neque casus tibi eripere possunt: pulchritudo corporis virtute atque humanitate superatur quae nullis capillis egent. Multi homines maxima virtute vel auctoritate nullis capillis ornati erant: sic Iulius Caesar et Cato Senior, sic Socrates et Epicureus. In sculpturis capite calvo sapientia atque potentia indicari solent: illas expectationes explere coneris quae aspectu tuo evocentur.